

1. ALCIBIADES, Cliniae filius, Atheniensis. 2. In hoc, quid natura efficere possit, videtur experta. 3. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. 4. Natus in amplissima civitate summo genere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res aptus consiliique plenus 5. namque imperator fuit summus et mari et terra, disertus, ut in primis dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei [dicendo] posset resistere dives; 6. cum tempus posceret, laboriosus, patiens; liberalis, splendidus non minus in vita quam victu; affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens: 7. idem, simulac se remiserat neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam. 8. Educatus est in domo Pericli - privignus enim eius fuisse dicitur, eruditus a Socrate; 9. socerum habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquentium ditissimum: ut, si ipse fingere vellet, neque plura bona comminisci neque maiora posset consequi, quam vel natura vel fortuna tribueret. 10. Ineunte adulescentia amatus est a multis amore Graecorum, in eis Socrate 11. de quo mentionem facit Plato in symposio. Namque eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit. 12. Posteaquam robustior est factus, non minus multos amavit 13. in quorum amore, quoad licitum est odiosa, multa delicate iocoseque fecit, quae referremus, nisi maiora potiora haberemus. 13. Bello Peloponnesio huius consilio atque auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt 14. ad quod gerendum ipse dux delectus est, duo praeterea collegae dati, Nicia et Lamachus. 15. Id cum appareretur, priusquam classis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermae, qui in oppido erant Athenis, deicerentur praeter unum, qui ante ianuam erat Andocidi. 16. Itaque ille postea Mercurius Andocidi vocitatus est. 17. Hoc cum appareret non sine magna multorum consensione esse factum, quae non ad privatam, sed publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est iniectus, ne qua repentina vis in civitate existeret, quae libertatem opprimeret populi. 18. Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et maior quam privatus existimabatur. 19. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat. 20. Qua re fiebat, ut omnium oculos, quotienscumque in publicum prodisset, ad se converteret neque ei par quisquam in civitate poneretur. 21. Itaque non solum spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quod et obesse plurimum et prodesse poterat. 22. Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur 23. quod nefas erat more Atheniensium, idque non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur.